



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofurti, 1684

Aaron Mosis Frater. Parænesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Stationes quaterdenas annis totidem meritus,

Viam per avia vel invenit, vel fecit.

Quin ipse Belli Dux, & bellica machina.

In Monte fixus,

Hostem dejicit, dum manus erigit.

Populo denique tot per clades traducto,

Primum ac postremum optati soli conspectum rapaces

Patriam amisit, cum vidit.

Hoc tantum Humanum fecit, quod defecit,

Morientem nemo vidit,

Mortuum nemo invenit,

Tumulum nemo erexit,

Si Deus moreretur, sic moreretur.

Quis Mosem neget Pharaonis Deum?

A A R O N

MOSIS FRATER.

PARENÆSIS.

Adeste Præsules. Paucis vos moneo.

Cecidi; nemo fidat; Convalui; nemo diffidat;

Ego Pontificum Princeps, & Principum Pontifex,

Mosis frater, immo pars fratri sui.

Nam quod alteruter carebat, ab alterutro summis;

Illi ego linguam, ille mihi manum suffecit.

„Uni omnia nunquam concessa.

Sed ego nimia indulgentior,

Vulgo Deum Deo meliorem flagitanti, Dæmonem dedi.

Inaurium auro flammis domito, Monstrum conflavi;

Ut autium dolore oculi resipiscerent.

At nimis imperite aureum formavi, si coli nolebam:

Cum aurum colatur vel informe, & Numus pro Numinis
sit.

Materiæ pretio vilem addidi Jumenti speciem,

Ut Numen darem colentibus simile.

Sic circa Vitulum vitulantur lascivi,

Et Pastores ducuntur à Pecude.

Itaq;

Iaque in elemento eodem, Deum Moses, ego Dæmonem
reperi,

At nemini suum artificium pluris stetit.
Levius Authorem torcit Phalaridis Taurus,

Quam meus me Vitulus.

Nam semel ille gemuit, ego temper.

Finem ludicri luctus excepit :

Dum Vulcano redonatus est Vitulus :

Et flamma scelus delet quod fecit.

Tum, verso in medelam veneno, Idoli Cineres in aquis
sorbi.

Ut Bacchi facinus eluerent lymphæ.

Hinc, ultore Levitarum gladio Populum depopulante,
Toties cado, quoties video cadentes.

Ut trigesies millies peream, triginta millia pereuntium
specto.

Sic populus Antistitis culpa,

Antistes populi poena, torquetur.

Illi sanguinem fundunt, ego lacrymas,

Heu quot lacrymas?

Nullas ad Filiorum funera mihi seposui,

Vidi infelix infelices pueros,

Profano igni adolescentes, facto igni aboleri,

At exhaustis meo crimine oculis,

Nihil inveni quod supra alienum crimen efflueret,

Supererat pro solatio dignitas : hac etiam spolior in Monte

Hor :

Et Pontifex de Ponte dejicior.

Mors denique dolores omnes oneratura,

Optata litora prospectantem oppressit.

Obij à Patria extorris, quam oculis tantum tenui,

Credite Antistites.

, Lubrica res est præesse.

N A A S O N

AMINADABI FILIUS.